

(71)
EPILOGUS

exhortatorius ad diligentio^{rem} ἀποτομίαν πολιτείας Christianæ,
cum fuga scandali tuendam.

Miramur hunc zelum; sed & repudiemus atque aversemur ἀζηλίαν. Eousque nimirum illa processit dementiæ, ut ex nobis prodierint hujus sectæ discipuli, qui vel purgatorium incrustare magno nisu studuerint. Restat, ut hinc illam combibamus admonitionem, & hoc apud animum altius expendamus porisma: Si *Magistri illi* præjudiciis suis Pharisaicis defendendis tantam insumunt operam, tantum impendunt stúdiū & laborem, tantam impertiuntur æmulationem & vigilantiam; cavendum, ne nos in die judicii in ruborem dent, qui causæ nostræ orthodoxæ, & vitæ huic convenienter transigendæ, sæpe ne dimidiam quidem illorum conaminum religiosorum partem in nos recipimus. Legimus adhuc Alphabetum & Vocabularium Pseudomysticum; eheu! Alphabetum Pseudo-Christianum nullibi fere non increbescit. Nostra quidem Ecclesia Lutherano-Evangelica non indiget aliquo Drexelio, de vitiis linguæ orbis Phaethontem alphabetice repræsentante, & bene multa satis utiliter perstringente. Quin epanorthosi hac ambo-nes nostri & subsellia Orthodoxorum undiquaque personant. Rumino, quod in-nui. O vos Pseudo-Christiani, ob hypocrisin inveteratam, ob securitatem con-clamatam, & extremam vitæ improbitatem ita vocandi, credite, hos Phari-saicos & coecos coecorum Duces, pietatis sinistrae æmulos, in die isto vos coram πανθήμῳ theatro accusaturos esse, eo, quod in tanta Evangelii luce, durante tem-pore gratiæ, tam pertinaciter ac proæretice in tenebris ambulare ac perseverare malueritis. Etenim si isti servi ab impietate vitæ, passim invalescente & mundum novissimum impensius opplente, ad alterum extremum, auream supergressi medio-critatem & limites in Verbo Dei positos derelinquentes, judicium DOMINI, cui ce-ciderunt, nequaquam subterfugient; ecquid, amabo, de profanis illis fiet, qui scan-dala furenter æmulantes, mundumque diligentes & colentes, Satanæ ministrarunt, tenebrarum Principi? Tanto gravius omnino hos manet judicium, quanto magis perspectam & exploratam habent voluntatem Domini, & tamen hanc vilipenden-tes tanto contumacius cespitant, hallucinantur, & sine ulla vitæ emendatione mo-res suos Dabolicos & occallescentem peccandi consuetudinem immutare detrectant. Ipsorum zelus ac fervor vestrum, o servi maligni, accusabit teporem, ipsorum ve-cordia vestrum, nisi in tempore abjiciatur, socordiam, ipsorum vigilantia vestrum ve-ternum. Nostrum est cum timore ac tremore salutem operari. Neque enim adia-phorismum moralem admittunt præcepta Christi; neque virginum fatuarum, oleo fidei carentium, veternum approbant; neque etiam jocoseria Melandri æquiparant ea Verbi divini monita, quæ tum ad fidei sinceritatem, tum ad vitæ integritatem attinent, quæque citra beatitudinis æternæ jacturam non possunt susquedeque haberi. Salvanos, DOMINE, quoniam defecit justus, & vere fidelium magna datur inopia inter homines. Multi passim obambulant Pseudo Christi & Pseudo-Propheetæ, mul-tosque seducere laborant.

*Actum est! dum in mundo doctrinæ plura seruntur
Scandala, dum vitæ scandala plura vigent,
Phosphore, pande diem extremum; quid nostra moraris
Gaudia? Lucifator Phosphore, pande diem!*

Mystica